







1324

*de emanatione subiectionibus*

18-2

1728 16

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEBERGENSI  
P. T. DECANVS  
IO. BALTHASAR  
WERNHER,

ICTVS,  
POTENTISS. POLON. REG. ET ELECT. SAX. A CONSILIIS  
AVLAE, ATQVE IVSTITIAE, CONSISTORII ECCLESIASTICI  
DIRECTOR, FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIVS, ET  
DECRETALIVM P. P.

LECTORI SALVTEM

DICIT





OR DIXIS IVRIDI  
ACADEMIA NITZBERGENSIS  
IO. BAL. HASAR  
WERNER  
IN  
NITZBERG  
MDCCLXXV  
LITTON SALVEM







Hoc ipso tempore, quo Nobilissimus CANDIDATUS me de instituto suo certiore reddidit, atque, ut curriculum uitae, ab ipso actae, more recepto, publice proponam, rogat; in Comitibus Statuum Saxoniae Provincialibus, quibus, publico nomine, intersum, cum de aliis Processibus Iudicarij Capitibus, tum sigillatim de Subhaestationibus, unde is argumentum Dissertationis suae Inauguralis desumit, emendandis agitur. Potentissimus Legislatores Noster, cum Vniuersis Ordinibus, in eo est, ut abusus uenditionum publicarum tollantur, nullitates, ut uulgo appellat, euitentur, circuitus, & ambages, quibus massa bonorum debitoris fere consumi solet, rescendant, omnia denique, quantum fieri potest, in melius restituantur. Quo sine plurima iam saluberrime constituta sunt; alia adhucdum in deliberationem ueniunt, uim Legis publicae mox acceptura. Quae res eo maturius consilium meretur et expetit, quo maioris momenti est, et cum publica utilitate clarius coniuncta. Omnium ore celebratur



cur haetae fiscalis fides, et tutissima censetur possessio rei, sub hasta emtae; quam euictionis, similibusque periculis, minus expositam esse, uulgo persuasum est. Et tamen, si quid uideo, rationibus recte subductis, liquet, minora incommoda a priuata uenditione, quam ea, quae publice fit, metuenda esse. In emtionibus priuatis maximum discrimen est ab hypothecis tacitis, quae plerumque ignorantur, et saepenumero non opinantem emtorem, citra ullam ipsius culpam, opprimunt. Atqui id hodie, sublatis in Sax. Elect. hypothecis tacitis, omnino cessat. Expressae autem, sicuti in Venditionibus, quae sub hasta fiunt, per solutionem, uel depositionem pretii, expirant, ita in emtionibus priuatis facile cognosci, et, si creditoribus de pretio satisfiat, extinguui possunt. Contra ea, deterioris longe conditionis est emtor publicus, quam priuatus; dum hic re euicta, nec non intuitu onerum, quae ipsi patefacta haud sunt, auctorem suum, ad euictionem sibi praestandam, obligatum habet; illi uero regressus, non minus aduersus Creditores, in bonis debitoris concurrentes, quam contra iudicem, denegatur. Quod ipsum hanc quoque difficultatem parit, ut publicum emtorem frequentius celentur onera, et incommoda, quae rem, sub hasta emtam, premunt, quam priuatum, cui Autor ad indemnitatem tenetur. Sic uero is, qui rem, publica autoritate, emit, et pretium bona fide soluit, citra ullam, euictionis praestandae, spem, in perpetuo timore uersatur, ne tertius aliquis, actione rei Vindictoria, Publiciana, similique, ipsum conueniat, et rem, sub hasta comparatam, auocet, aut, actione confessoria, seruitutem, aliudue jus sibi, in  
illa,



illa, afferat. Accedit, quod nondum inter Doctores conueniat, quatenam sint illa onera, quae ne subhastatione quidem pereunt, sed et, post illam, perpetuo durant, et cum re ad quemuis possessorem transeunt. Quae lis, unde plurima saepe incommoda ad emtores redundant, nondum principali lege sopita est. Ita uero praecipuus fructus emtionum sub hasta perit; quem plerique, ex communi persuasione, in securitate quaerunt, nullibi, quam hic, minus obuia; quae uel multos, errore et ignorantia lapsos, ad licitandum inuitat, et incautos, seroque sapientes, in discrimen bonorum adducit. Tot, tantisque incommodis utrum, et, quo remedio, occurrere queat, anceps quaestio est; de qua serio cogitare, et, securitati emtorum sub hasta, omnibus modis prospicere, boni publici ratio omnino iubet. Nihil enim magis publice expedit, quam possessiones, in tuto collocari, et fidem hastae fiscalis, tantopere decantatam, ita asseri, et uindicari, ut non amplius inane nomen sit, sed auctoritatem, atque praesidium emtoribus, eam secutis, praestet. Nihil mihi tribuo, sed aliis cogitandum relinquo, annon idoneum huic malo remedium sit, si, orto Creditorum Concursum, cum bona debitoris sub hasta, ueneunt, per iudicem, in re praesenti, quanta fieri potest, accuratione, & sollicitudine, describatur Index, uulgo *Ansatz* appellant, praedii sub hasta uendendi, cum omnibus accessionibus, nec non oneribus, quae eidem inhaerent; is deinde, cum subhastationis programme, publice proponatur, citenturque edictaliter omnes, qui, ex quocunque capite, aliquid iuris, in eo sibi asserunt, atque in tali Indice, quic-



quicquam, in sui praeeiudicium, uel praetermissum, uel perperam adiectum, esse, praetendunt; ut stato die, ante terminum subhastationis, *sub poena praecclusi*, et citra restitutionis spem, ueniant, et monita sua, cum fundamentis eorum, strictim allegent, simulque de calumnia, si qua huius suspicione premantur, iurent. Quo pacto id consequuntur omnes, qui licitari cupiunt, ut, si in termino praestituto, nemo se sistat, intelligant, plenissime se fidere posse iudici conscripto, et omnimodam securitatem se habituros in re, quam sub hasta emturi sunt; sin uero aliqui adfuerint, qui *praetensiones* forment, earum conficii sint, et sic parati, informatique, quid, et a quibus in posterum metuendum sit, ad licitandum ueniant. Sic bona fide cum ipsis agitur, neque, ut fieri solet, in casses, haud praeuisos, incidunt. Ipsis etiam, qui concurrunt, creditoribus bene consulitur, dum quisque, si rei conditionem plene perspectam habeat, facilius, et alacriori animo, ad licitandum accedet, quam in ancipiti alea, et ubi omnia metuenda sunt. Quod consilium, eiusque utilitatem, quae latissime patet, cum mecum reputo, et altius perpendo, parum abest, quin autor sim, ut idem illud ad quasuis, etiam priuatas, immobilium bonorum uenditiones, antequam confirmentur, et, praeuia resignatione dominii, iudicialis eorum traditio fiat, si emtores, securitatis causa, postulent, extendatur, et accommodetur. Quid enim, uel bonae fidei, cuius semper Germani tenaces fuerunt, tam conuenit, aut amputandis litibus, quibus tribunalia repleta sunt, magis conducit, quam si emtor non minus securus reddatur, intuitu rei emtae, quam uen-



uenditor est, intuitu pretii, quod accipit? Obiicis, sic eos, qui aliquid iuris in re praetendunt, per indirectum ad agendum compelli, contra notissimam iuris regulam, iuxta quam nemo inuitus agere tenetur, nisi diffamatio praecesserit. Enimuero, sicuti uulgarum hoc principium generatim, in *Concuribus Creditorum*, locum non habet, ubi hi, etiam inuiti, contra debitorem, uel, qui loco eius est, Curatorem litis, agere, suaque debita ad liquidum, perducere coguntur, ita uerum haud est, quod hic prouocatio ad agendum subsit. Nemo enim, ut actionem sibi competentem prius, quam ipsi commodum fuerit, si terminus a lege definitus adhucdum perduret, in iudicium deducat, compellitur; sed ut tantum, sibi talem competere, iudicialiter profiteatur, atque significet; quo emtor, in pretio constituendo, aut contractu ineundo, eius rationem habere, et sic potius ab initio sibi prospicere, quam, post uulneram causam, remedium quaerere possit. Ad ultimum, si quod hic incommodum priuatorum subest, id publica utilitas, dum possessores immobilium tuti redduntur, et infinitae lites euitantur, facile diluit, atque compensat. Praeterea non minor difficultas, et controuersiarum seges, ex *Nullitatibus*, quas uocant, subhastationum oriri solet. Experientia enim ostendit, saepenumero possessorem praedii, sub hasta uenditi, longo tempore post, ex tali causa, periclitari, eiusdemque ius possidendi in dubium uocari, ubi facile fieri potest, ut uel aliquid circa formam subhastationis, a lege praescriptam, neglectum ostendatur, uel deficientibus omni-



omnino Actis, quae incendio, aliove casu, aut cuiusquam dolo, culpaue, perierunt, requisita legitima obseruata fuisse, doceri nequeat. Quibus incommodis ut obuiam eatur, nihil salubrius, mea sententia, constitui posse videtur, quam si lege publica sanciat, ut in posterum *Nullitates* Subhastationum, ante terminum Adjudicationis, urgeri, postea uero habere non amplius, ex huiusmodi capite, impugnari debeant. Qua ratione tutus redditur emptor, et in quietam possessionem venit, innumeri etiam sumtus, et taedia processuum, magno cum Reip. bono, evitantur, denique Dominia rerum certa fiunt. *Quin* enim praescriptionum tempora in manu, et arbitrio legislatoris sint, nemo dubitat; et, cum *querela Nullitatis*, aduersus sententiam, uel decretum, quae Iure Ciuili triginta annos durat, apud Saxones, ad terminum Sax. restricta sit, quippeni, in subhastationibus, magis coarctari, eidemque angustius spatium definiiri possit? Nullae autem salubriores leges sunt, quam quae litibus, inter ciues, materiam subtrahunt, ambages controuersiarum recidunt, Dominia atque possessiones bonorum in tuto collocant, eoque tendunt, ut bona fides ubique regnet, et pax, atque tranquillitas, qua nihil uel Deo carius, uel Ciuitati utilius est, quoad fieri potest, facta tectaque seruetur. Sed, quae hic obiter, et leui brachio tradidi, quorum prima tantum lineamenta duxi, alio tempore, ex instituto, exequar. Nunc uero ad Candidatum nostrum deuenio, qui occasionem huic scriptioni dedit. Est is Nobilissimus, Consultissimusque Vir, HENRICVS GOTTHELFF SCHMIDIVS;  
cuius



cuius uitae Curriculum iisdem uerbis, quibus conscriptum id ipse mihi obtulit, huc recitabo. Ita autem ille:

Ego,  
**HENRICVS GOTTHELFF  
SCHMID,**

*Natus sum Lohmae Misnicorum, pago, prope Pirnam ad Albim, iure Oppidano fruente, die XXVI. Mart. Calend. correct. c19 1700 c19. Patre usus Viro Reuerendo, HENRICO SCHMIDIO, Pastore loci memorati fere emerito, Inspectioni Pirennsi addicto, Diacono quondam Elstra, natali oppido, legitime auocato, Matre, ANNA MARGARETHA, e Prosapia EHEVVALDORVM, Budissa, Hexapoli Marchionatus Lusatae Superioris primaria, oriunda, Genus a Matre et Auia etc. [quod memoriae, et pietatis causa admoneo,] ad B. GREGORIVM MAETTIGIVM, artis Salutaris Doctorem olim Celeberrimum, magnum Illum Stipendiorum Familiae nostrae Statorem, Auctoremque, [Cuius Cineres bonus quisque nostratium etiamnum ueneratur, et ueneraturus est,] usque referente, Vitroque Parente Charissimo, Honoratissimoque, quae Diuina Gratia est, huc dum superstite, quippe qui, quid preces Parentum pariter ac indefessa educatio efficere possint, in filio uidentur experti. Vix enim linguae usus mihi cum esset concessus, statim a teneris usque cunabulis, priuatorum me Praeceptorum curis limandum tradiderunt, omnibusque iis, quibus puerilis aetas impertiri debet, et pietatis, et doctrinae primordiis*

)(

diis



diis, erudiendum curauerunt, donec anno **CIV** **CCXII**.  
annos circiter duodecim natus, in Illustrem, quae Portae  
ad Salam floret, Scholam Prouincialem translatus,  
in numerumque Alumnorum Regio - Electoralium in-  
sertus, Fidelissimorum, qui tunc temporis ibidem fa-  
ma celebrabantur, et pro parte, huc dum celebran-  
tur, Praeceptorum, inprimis **HARTMANNI**, Re-  
ctoris Clarissimi, eoque placide defuncto, **SCHRE-  
BERI**, **BESSERI**, **HEIDERI**, **SCHRAMMII**,  
**MAII**, **WEIDNERI**, uigiliis creditus, ab iisque  
omnibus iis, quae ad Theologiae Theticae, pietatis,  
humanitatisque studia pertinent, largiter imbutus,  
cum sexennio, lege statutaria, ibidem commorandi,  
sancito, nondum elapso, praeuio speciali, quod hoc ca-  
su opus erat, **SERENISSIMI** Rescripto, et iis, qui-  
bus parendum erat, haud quicquam refragantibus,  
lustri, et quod excurrit, spatio exantlato, ueniam  
Academiam salutandi impetrarem, inde die **XXXI**.  
**Octobr.** **MDCCXVII**. Vitebergam ueni, hucque sole-  
mnibus, quae iam tum celebrabantur, Jubilaei sacris  
peractis, die **VIII**. **Novembr.** Pro-Rectori Magnifico,  
**B. ADAMO BRENDELIO**, **Phil. et Med. Doct.**  
**Anatom. et Botan. Prof. Publ.** nomen meum professus,  
atque in **Album** Reipublicae huius literariae receptus,  
perque breue temporis spatium, hic commoratus, **Bu-  
dissam** Lusatorum petii, ibique examen **SCto** nostrati-  
bus, sub auspiciis Academiae subeundum praeceptum,  
delegato Magnifici Senatus Consessu coram sustinui,  
inde, breui interiecto interuallo, circa initia **Vernalia**  
**CIV** **CCXVIII**. huc redux, primo statim anno omnibus, qui-  
bus **Dupondiorum** aetas initiari, et ad altiora praeparari  
solet



solet, doctrinis operam uauau omnem, imprimis cursum, ut uocant Philosophicum, praeunte M. WOLFFIO, Viro tunc temporis in hac disciplina non mediocri applausus, audiendo, repetendo, disputando, quin et cursum Mathematicum, ut dicunt, inferiorum, docentibus WEIDLERIS, nec non Institutiones Iustinianicas, tam originarias, quam ad usum modernum adornatas, auctoribus BRENDELIIS, aliisque, cum Gallicae linguae principiis, absolueri conatus sum, quibus perspectis, insequentibus annis, totum me Iurisprudentiae tradidi, proin omnes huius Academiae ICTOS Famigeratissimos, Magnificos, Excellentissimosque, WERNHEROS, BASTINELLEROS, MENCENIOS, Utrosque BERGEROS, SPENEROS, KRAVSIOS, KEMRICHIOS, Patronos meos aeterna mentis uerecundiâ ad urnas usque Colendos, publice priuatimque ad Iuris Naturalis, Publici, et Viri usque priuati, partes Theoreticas, et Practicas sedulo commentantes, interruptione, quantum in me fuit, omni remota, discendi gratiâ sectatus, Eorumque opera, indefessaque institutione adiutus, breui uniuersum totius Iurisprudentiae cursum, audiendo, examina in praecipuas materias sustinendo, repetendo, nec non disputando emensus sum. Cum uero per duorum fere annorum, per quos in hac Academia uitam transegeram meam, usu essem edoctus, Iurisprudentiae scientiam, citra applicationem, uiuamque adhibitam Praxin, campanae haud dissimilem esse sine pistillo, et indies uellicarent aures ea, quae tradantur apud B. STRYKIUM: nosse stylum curiae, esse pluris, quam totam scientiam



am iuris; inde usque omnem citra moram Praxin  
eum Theoria coniungere, animum induxi, inque ae-  
des OERTELIANAS admissus, huius Viri, in arte Pra-  
ctica nemini secundi, concatenatos perspexi labores,  
et primis quasi labus Praxeos principia degusta-  
ui, perque anni spatium acta publica legendo, et  
nonnunquam in Iudicio in Termino substitutus com-  
parendo, collegiaque frequentando, apud eundem  
uersatus sum. Anno 1721. elapso triennio  
Academico, accersitus, me contuli Torgauiam, i-  
bique expeditioni Senatus Oppidani admotus, sub  
Directione Syndici huius loci Celeberrimi L. DOE-  
RINGII, iis, quae alias uices sunt Actuarii, manus  
adhibendi occasio subnascebatur, dumque ibidem de-  
gerem, die XIII. Septembr. d. a. 1721. ab  
Inclutissimo Ictorum, qui hic Vittembergae floret, Or-  
dine, ad Examen, quod pro Praxi uocant, lege Saxonica  
Electoralis Neo-Practicis subeundum, imperatum, ad-  
missus, ab eoque, testibus tabulis publicis mihi exhibi-  
tibus, per quam dignus iudicatus, qui ad orandas  
in foro causas admitterer, breuique post uidelicet XVIII.  
Octobr. d. ai. praeuio iuramento praestito, a Summo, Re-  
gio- Electoralis Regiminis, qui Dresdae est, Senatu,  
in numerum Aduocatorum huius Electoratus, et Pro-  
uinciarum haereditariarum relatus. Cum uero, Tor-  
gauiae diutius haerere, mearum rerum haud esse ui-  
deretur, circa auspicia anni 1722. uisite  
quo d. III. Nouembr. et Notarius Publ. Caes. creatus  
d. XXI. Mai. 1723. uero confirmatus sum,  
Wittenbergam reuersus, ibique in aedes pariter ac  
expeditionem D. TEMMICHII, Protonotarii hu-  
ius



ius Academiae meritissimi etc. Icti, et ingenio, et  
fori prudentia acutissimi, longoque rerum usu exerci-  
tatissimi, receptus, perque anni spatium, uoluntario  
motu, positiones elaborando, in Iudiciis terminos, ut  
uocant, Iuridicos expediendo, theoretica studia inter  
priuatos parietes, et Collegia publica repetendo, in-  
simulque proprio Marte praxin auspicando, apud E-  
undem perseveraui, donec, rebus citra spem et opi-  
nionem accrescentibus, iis solus superesse satius uide-  
retur, ex quo, quae Diuina Gratia est, usque huc  
felici fortune stamine ductus, per lustri, et quod ex-  
currit, spatium, in omnibus, quae huius loci sunt,  
Iudiciis inferioribus, exterisque, causas Clientum,  
quantum quidem in me fuit, omni fidelitate atque  
cura perorare sategi. Nec eorum quoque desui peti-  
tis, qui me haecenus in Disputationibus Inaugurali-  
bus publicis multoties opponentem adhibere, haud de-  
dignati fuerunt. In posterum quoque, Diuinam ob-  
stetricante Gratia, in omnibus, quibus licet, exerci-  
tiis Academicis, et legendo, et disputando, et Pra-  
xin Aduocatoriam exercendo, sedulo perrecturus.

Hactenus CANDIDATUS Noster. Hic, cum Sum-  
mos, in Vtroque Iure, honores capessere constituif-  
set, haud ita pridem, apud Ordinem Nostrum, no-  
men suum professus est, atque primo ad tentamen,  
et postea ad Examen rigorosum, admissus, talem se,  
quod memoratus Ordo, me interprete testatur, prae-  
stitit, ut unanimi omnium suffragio dignissimus iudi-  
icaretur, qui in eum, quem ambit, gradum ascende-  
ret. Ipse etiam, licet, propter absentiam, Examini-

)(3

bus



bus haud interfuerim , hoc Collegii Nostri iudicium eo promptius sequor , quod elegantissimum Viri ingenium, et agendi prudentiam , atque, in causis orandis, dexteritatem , studia denique haud uulgaria, aliunde satis perspecta habeam. Restat, ut, Speciminis loco, Dissertationem Inauguralem publice proponat, atque defendat. Quod futuro die 22. Apr. Praeside Viro Magnifico, Excellentissimoque GODOFREDO LVD. MENCKENIO, Jcto Famigeratissimo, Pandectarum P. P. Collegiorum Iuridicorum , quae Vitembergae sunt, nec non Iudicii Prouincialis in Lusatia Inferiore, Assessore gravissimo, Patrono, Collega , atque Fautore Nostro, longe Honoratissimo, faciet, et, *de Residuo pretii ex feudo ob debita feudalia sub hasta uendito*, publice disputabit. Cui Actui Solenni, ut MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLUSTRISSIMVS COMES, nec non PROGERES ACADEMIAE, cum Studiosa Iuuentute reliqua, interesse, eidemque, sua praesentia, decus atque, splendorem conciliare ne grauentur, Ordo Noster, qua decet, obseruantia et humanitate, rogat, et mutuo ad omnia officia et studia promittitudinem pollicetur. Scripsi Drefenae d. VIII. Apr. MDCCXXXIX.

---

VITEBERGAE, TYPIS FINCELIANIS.











ULB Halle  
003 612 635



3

*Sb.*











1324

*de ammalandi subhantombu*

18

1928 16

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEBERGENSI  
P. T. DECANVS  
IO. BALTHASAR  
WERNHER,

ICTVS,  
POTENTISS. POLON. REG. ET ELECT. SAX. A CONSILIIIS  
AVLAE, ATQVE IVSTITIAE, CONSISTORII ECCLESIASTICI  
DIRECTOR, FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIVS, ET  
DECRETALIVM P. P.

LECTORI SALVTEM

DICIT